

Attingere jam nobis lubet viscera quæpiam, quæ magnitudine sua exceſſerunt ordinariam proportionem, unde anſa indagandi nobis oriri poteſt, quænam cauſa magnitudinis variæ exiſtat, quò eadem declinare poſſimus in obefitate curanda, vel pro eadem avertenda. De jecore verò vaſto & exiguo agit *Jonſtonus in thauumatographia p. 446.* Annotavit quoque *Domin. Marchetti (in anatom: p. 41. & 42.)* hepar maximum abdomen mulieris magnopere replens, difficultatem ſpirandi excitans, illamque ſuffocans. De Cardinalis *Gualtieri* hepate novem libras ſuo pondere æquante mentionem faciunt *Ephemerides publica ac bellica Lipſiæ impreſſæ Anno 1673. in ſeptimana quarta plagula 3.* Binis aliàs jecoribus præditos eſſe lepores in *Bifaltia* innotescit ex *Gellii noët. Attic. l. 16. c. 15.* Alia exempla de nimis magno hepate conſignata colligere licet ex *Acad: natur: curios: Miscellan: Annotum decuria 1. Anni 1. obſ. 2. p. 16 & 17. it: ex Exercitat. Medica Henr: Eyſſonii & Henr: Meibomii de obſervationibus rarior: in nupero ſubjecta anatom: §. 14. edit. Groningæ 1660. ex Pæonis & Pythagoræ Exercit: anatom: 16. a. p. 76. & obſ: 16. B. p. 78. Goth. Mœbii fundament: Medic: p. 399. & ex Matth. Moroni directorio medic: p. 216.* Sic etiam de hepate monſtroſo in *helluone* reperto, qui *hydropicus* periit, obſervationem habet *Dom: Panarolus in Pentecoſt: 4. obſ: 24. p. 125.* De hepate & pancreate magno itidem annotato agit *Iſaac. Cattierius in obſervat: Borello communicat. 10 p. 41.* Bis etiam hepar magnum à ſe obſervatum memorat *Phil: Salmuthus cent: 1. obſerv. 21.* Duo quoque exempla vaſtorum ac ponderoſorum hepatum ſcribit ſibi nota *Helmontius tr: de Retentis f. m. 381.* ubi autor ab hepatum dictorum & aliorum humorum, ſacculorum & tumentium rerum copia ventrem elatum fuiſſe meminit. Nolumus quoque ab his abeſſe obſervationem de reperto ventriculo magno ac pulmone cum liene parvo in thorace, & hepate magno in abdomine obefi, conſignatam à *Nobil: Domino Gabr: Claudero* (amico atque Collega noſtro, propter *Acad: natur: Curioſ: honoratiſſimo*) in *Epiftola ad Marc. Ruychium data atque edita Patavii 1661. Franc. Gliffonius in anatom: hepatis cap. 2. p. 67.* in *Rachitide* inprimis nimium hepatis incrementum obſervavit. Sic in ta-